VARIA LIBAMENTA CRITICA

CONFUDIT

LODOUICUS TRAUBE

BEROLINENSIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS.

MONACII

TYPOGRAPHIA ACADEMICA F. STRAUB

MDCCCLXXXIII.

'apes, ut aiunt, debemus imitari et quaecumque ex diuersa lectione congessimus separare . . . deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate in unum saporem

uaria illa libamenta

confundere.'

quod prouerbium his persecutus est Seneca et scite nouauit, illud ad tantam admirationem Macrobium adduxit uirum sapientiae specie stolidum, ut auctoris nomine non prolato eadem sententia iisdemque uerbis Saturnalia sua praefaretur et hoc furto excusaret furta illa, ex quibus toti contexuntur eius libelli.

ego cum ex Senecae hortulis placitum illud sumpsi operique meo praemisi, eo nomine hoc feci ut etiamsi detraxisses quod sui ipse propositi gratia Seneca uerbis illis subiecisset, tamen remaneret aliquid ex eius auctoritate quo meum quoque consilium et explicaretur et commendaretur.

quae enim ex lectione auctorum multorum et omnis generis uoluminum congesseram siue ut explicata siue ut emendata, ex eis selegi quaedam quibus in hunc libellum uaria tamquam libamenta confunderem titulo illo quidem nouo, re non inaudita.

tali autem labore suscepto licebit et praedicare siue in tolerando siue in depellendo uiam nos secutos esse cautiorem, non ancipitem praeposteramque et sperare fore ut qui legent hoc concedant non altiora nostris uiribus nos esse conatos, sed enixos in illud diuinum (Sen. ep. 107):

'optimum est pati quod emendare non possis.'

I.

IN POETAS.

Catulli uersus sunt ex carmine XXII.

Suffenus iste . . .
homo est uenustus et dicax et urbanus
idemque longe plurimos facit uersus.
. . . [1]

haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus aut fossor
rursus uidetur: tantum abhorret ac mutat.
12. hoc quid putemus esse?: qui modo scurra
aut si quid hac re tristius uidebatur,
idem infacetost infacetior rure,
simul poemata attingit.

quod in codicibus et uulgo legitur '*tristius*' absurdum est et consilio reluctatur Catulli, qui corrupto hoc uocabulo incrementum dare uoluit 'scurrae', non minutionem. unde Itali '*tritius*' L. Mueller '*scitius*', Munro Peiper Baehrens '*tersius*' seu '*tertius*' scribere uoluerunt. sed neque adiectiua, quae modo rettuli, quadrant in laudandum scurram neque his conaminibus

---

1) cfr. Birtius, das antike Buchw. p. 67 sqq.

si pro '*tristius*' uiri docti aliquid restituissent uerius, confecta esset correctio. nam remanet et locutio a Catullo aliena et scurra '*rei*' adpellatione praeditus.

non res est scurra. et miror Muretum uirum elegantissimum codicum lectionem ut defenderet, hoc in commentarium suum detulisse (Aldina 1567 p. 36): 'facete adhiberet rei nomen quasi scurras hominum nomine satis dignos non putet. sic (sic!) Cicero Verrem importunum animal uocat.' sed Scaliger quoque quamquam sensit falso positum esse '*hac re*', cum proponeret '*retritius*', in eundem ac librarii Muretusque incidit errorem.

iterum enim iterumque dicendum scurram non ubique intellegi hominem nequam et improbum. 'urbani assidui ciues' sunt, 'quos scurras uocant' (Plaut. Trin. 1, 2, 165). Seneca pater p. 17, 22 ed K. 'Sabinum Asilium uenustissimum inter rhetores scurram' fuisse dicit, Seneca filius 'Vatinium scurram' adpellat 'et uenustum et dicacem' (dial. 2, 17, 3), Catullo ipsi scurra ille Suffenus 'homo est uenustus et dicax et urbanus.' quod si est, eodem modo quo hominem urbanum Cato, nos definire possumus scurram: cuius multa bene dicta responsaque erunt et qui in sermonibus circulis conuiuiis item in contionibus omni denique loco ridicule dicet (ed Jord. p. 83, 11 sqq.).

locutio non est Catulliana, quod 'res' additur,[2]) deest copula. cfr. 13, 10

set contra accipies meros amores
seu quid suauius elegantiusuest

23, 13

atqui corpora sicciora cornu
aut si quid magis aridumst habetis.

---

2) longe aliud Cat. 83, 5 'risu inepto res ineptior nullast' et Senec. ep. 47, 13: 'uiue cum seruo clementer . . . . nihil hac re turpius'.

42, 13 o lutum lupanar
aut si perditius potest quid esse.

82, 1 Quinti si tibi uis oculos debere Catullo
aut aliud si quid carius esse potest.

contra sine copula e. g. Martial. 14, 83, 2 'pulice uel si quid pulice sordidius' 14, 17 'sunt apicae tricaeque et si quid uilius istis'.

In uniuersum si spectas, nihil est usitatius ablatiuo personae qui pendet ex comparatiuo neutrius cum negatione uel interrogatione coniuncto. ex magno eius rei exemplorum aceruo [3]) in Catulli carminibus adprehendi haec duo:

9, 11
quid me laetius est beatiusue?

et 31, 7
o quid solutis est beatius curis?

nam in altero quoque loco ablatiuos construendos puto ut hic efficiatur sensus: quid est beatius quam qui curis soluti sunt? [4])

omnia haec cum computaueris, ut a Catullo relictum recuperabis:

qui modo scurra
aut siquid hoc *uenustius* uidebatur.

cui lectioni eximie fauet liber Oxoniensis, qui *ac retristius* praebeat.

hac coniectura utrum acquiescerem an praeter eam '*ac*' in '*est*' esset mutandum, diu ambigua mente haesitabam et nunc quoque haesito.

---

3) sed e. gr. cfr. Seneca rh. 460 11 'nihil erat illo uenustius.' perraro ablatiui loco 'quam' inuenitur ut apud Senecam ep. 13 'quid est turpius quam senex uiuere incipiens' (nempe scribere noluit sene uiuere incipiente).

4) cfr. Bentl. ad Hor. I, 22, 11 cui addas Martial. X, 47, 9. contra hanc interpretationem pugnat Keller ep. Hor. I, 86 cui addas Senec. de ben. 7, 2 et Liu. 3, 8, 8 (hoc ex Jacoby anth. lyr.).

quae in Catulli carminis X, 9 codices exhibent:

respondi id quod erat nihil neque ipsis
nec praetoribus esse nec cohorti,
cur quisquam caput unctius referret;
praesertim quibus esset irrumator
praetor nec faceret pili cohortem.

siue '*praetoribus*' cum Ellisio arteficiose interpretaris siue mutas audacter cum Mureto in '*quaestoribus*', dubito num pristinum seruauerint nitorem. nempe praetor caput unctius rettulit.[5]) quaestores autem utpote qui nil in prouincia lucrati essent cur praeter cohortem nominaturus fuerit poeta qui omnia breuiter percurrit ut rem prodat ridiculam et nimis iocosam, mihi quidem causa in obscuro est posita.[6]) puto igitur uersus ita redintegrari:

respondi id quod erat mihi neque ipsi
hoc praetore fuisse nec cohorti,
cur quisquam caput unctius referret.

in quibus '*mihi neque ipsi*' Scaligeri recepi emendationem, cum in Catulli archetypo haec uideretur fuisse dittographia:[7])

al. neque i
nihil nec ipsis.

eo quod restitui '*fuisse*', etiam rectius 'cur referret' dictum est.

---

5) quod ex uerbis illis obscoenis apparet et nostro loco tralaticiis. nam idem fere ualent atque 'emungere.'

6) aliter 'praetores' 'praetorianos' esse uult Scaliger: quod cum 'praetor' insequatur proprie dictus, accipi non potest.

7) uix uerbis opus est me illam ex cod. Oxoniensi et Germanensi elicuisse. in aliam lectionem archetypi Baehrens deductus est Anal. Cat. p. 42.

Claudius Rutilius Namatianus in patriam rediens Caprariam insulam praeteruehitur refugium eremitarum. miratur uitam quam illi degunt non uitalem,

(I, 149) siue suas repetunt fatorum ergastula [8]) poenas
tristia seu *nigro* uiscera felle *tument*:
sic *nimiae bilis* morbum assignauit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.

nos miramur neglegentiam librariorum. nam monachi '*nimio* felle *tument*', Bellerophontes laborat e '*nigrae bilis*' morbo i. e. μελαγχολίᾳ [9]). totius similitudinis uim bene detexit Zumptius in ed. Rutil. p. 151.

---

8) similiter Eunap. I, 49 ed Boiss. *ἀνθρώπους μὲν κατὰ τὸ εἶδος, ὁ δὲ βίος αὐτοῖς συώδης.*

9) pro tristitiae et insaniae morbo uulgo atram bilem dicebant (cfr. Cels. III, 18 p. 111, 12. Plaut. Amph. II, 2, 727 Capt. III, 4, 596 et Zumpt. exempla), sed Seneca quoque nigram bilem (ep. 94, 17) et cfr. Isid. et 4, 5; 5 p. 170.

postquam haec scripsi, in Claudiani locum incidi, quo mirifice comprobatur inuentum nostrum carm. min. ed Jeep. XXVI, (XLIX) 95:

quod si forte malus membris exuberat umor,
languida uel *nimio uiscera felle uirent.*

'uirent' lectio est Vossiani; ceter. 'rubent'; Ambrosianus adscribit 'uel *tument*.'

II.

IN HISTORICOS.

apud Curtium (IX, 11 ed. Hed. p. 205, 28 sqq.) haec inuenimus ab Alexandro in adlocutione ad milites prolata:

> per uos gloriamque uestram qua humanum fastigium exceditis perque et mea in uos et in me uostra merita, quibus inuicem contendimus, *oro quaesoque*, ne regem . . . deseratis, cetera uobis *imperaui*: hoc unum *debiturus* sum et is uos *rogo* e. q. s.

quae uerba Alexander si fecisset, sibi ipse oblocutus esset. nam qui unum se debiturum esse profitetur, negat antea se merita sibi oblata adgnouisse. quod saepius hic quoque accidit ut librarii cum P scribere uellent, D exararent. dixerat Alexander: ʻcetera *uobis imperaui*: hoc unum *petiturus sum* et *is* uos *rogo*.ʼ

Florum Afrum fuisse cum iam pridem u. d. opinati sunt, tum licet uno exemplo luculenter probauit Woelfflin. in disp. de Afric. Cass. Fel. (Act. acad. Mon. 1880. p. 413, adn. 1).

idem ea quoque coniectura firmatur — si tamen in tali re coniecturae confidere licet — qua curabo uocabulum aliquod in uerbis quae adposui aperte uitiatum 1, 10, 7 (ed H. p. 10, 21 ed J. p. 13, 14): ʻsic quidem uiri, sed *ne qui* sexus a laude

cessaret, ecce et uirginum uirtus'. *ne qui* editores ex libro Bambergensi [10]) scripserunt, cui inter Flori codices principatum obtulerunt.

sed quot, quaeso, sexus hominum Flori temporibus extiterunt? Nazarianus codex uere optimus, qui '*ne quid*' praebet, et Jordanes ed Momms. p. 15, 7 qui 'ne *sexus alter*', ille corruptela, hic paraphrasi uiam indicant genuinae uocis reperiendae. ita enim Florus uidetur scripsisse: 'sed *ne*[*se*]*quior* sexus a laude cessaret, ecce et uirginum uirtus' cui locutioni patrocinatur Apuleius ipse quoque origine Africana, qui bis eadem usus est: Met. VII, 8 'in sequiorem sexus insertus' (de uiro mulieris ueste contecto) et X, 23 'si sexus sequioris edidisset foetum'.

etiam in I, 11, 2 (ed H. p. 10, 36 ed. J. p. 14, 11) propius quam Bambergensis Nazariani scriptura eam accedit, quae putanda est a Floro uenisse. ibi enim quod edunt: 'Postumius ipse dictator signum in hostes iaculatus est *ut inde* repeteretur', in Bambergensi sic constitutum legitur: '*ut inde ipse* peteretur'. in Nazariano (et in Monac. 6392) '*uti* peteretur cursu'. atque libris inter uarias lectiones tantum fluctuantibus, ratio suadet, ut in archetypo lacunam fuisse suspicemur. quam occulere librarii moliebantur, minus audacter tamen qui Nazarianum scripsit. ex quo repono: *ut i*[*petu*] peteretur (cursu). cfr. Val. Max. III, 2, 20 ed H. p. 122, 21 ubi simile factum narratur: 'ad id (uexillum) petendum subsequente cohorte primus impetum fecit'.

---

10) similiter cod. Mon. 6392 lat. s. XI. cuius notitiam Woelfflino debeo '*ne quis*.'

in Ammiani historiis quanta leuitate Eyssenhardtius editoris munere defunctus sit, inter uiros huius rei peritos constat neque minus etiam a Gardthausenio, cum ille quidem non diligentiae adtentae, sed menti pepercerit suspicaci, multa esse relicta ad felicius emendandum.

ueluti in ipso primordio primi libri (14, 6, 9 ed 9 p. 28, 16) huic loco occurrimus decantato et commentariis protrito, quem uitiis neque paucis neque leuibus purgare illi ne conati quidem sunt. sic autem traditur in Vaticano:

> sudant sub ponderibus lacernarum quas in collis inserta singulis ipsis adnectunt nimia subtegminum tenuitate per pia uilis expectantes crebris a cognationibus maximeque sinistra ut longiores fimbriae tunicaeque perspicue luceant uarietate liciorum effricacae ('effigiatae' recte Valesius) in species animalium multiformes.

sudant Romani sub ponderibus lacernarum. 'perflabiles' igitur, quod Ammiano coniectura imposuit Valesius, ineptissime lacernae nominarentur. quassando eas undantes faciunt (cfr. Plaut. Ep. III, 3, 432) ut fimbriae [11] et tunicae, quibus superindutae sunt lacernae, nitescant. quae tunicae uidelicet 'nimia subtegminum tenuitate *per pia uilis* dicuntur et lacernis opponuntur crassis et pinguibus (cfr. e. gr. Iuuen. 9, 27 et u. Ferrari de re uest. Graeu. t. VI, p. 817). at perflabilibus quod sub lacernis sudant, pro ioco haberi uoluit Valesius. profecto iocus est, sed Valesii. nam quod patrocinio ponit: ab aliis quoque scriptoribus narrari Romanos id temporis homines delicatissimos uel sub sericis sudasse, hoc urbane est dictum, illud ne intellegitur quidem.

11) siue tunicis adnexae (cfr. infra adn. 15) siue lacernis (cfr. Isidor. et. 19, 24, 14 p. 458).

porro ʿadnectuntʾ quid significabit, cum *singulis* ex Fabri inuento in *fibulis* correxeris? cui rei adnectunt lacernas? an carni? scilicet obiectum desideratur casu datiuo.

sed hoc quoque uides: in eo quod scribunt: ʿlacernas quas in collis insertasʾ — nam recte ex ʿsingulisʾ ʿsʾ litera huc trahitur — ʿinʾ abundare.[12]) neque tamen illam uoculam facile pro glossemate habueris. quam Scyllam ut uitaret, Gronouius incidit in hanc Charybdin, ut ʿcucullis insertiʾ scribere praeferret.

iam clarum est hoc maxime Ammiani loco obnoxium fuisse, quod quae quisquae de lacernarum habitu ut de cucullo de fibulis comperta habebat, textu coniectura inferre studebat.

utut est, ʿinʾ summouere debemus.

etiam ʿcingulisʾ sub ʿsingulisʾ fuerunt qui deprehendere uellent. sed quem in modum lacernae cingulis possunt adnecti? et finge hanc te quaestionem soluisse, tali lacerna angustiatus quis potest ipsam illam lacernam crebris agitationibus maximeque sinistra expandere?

praebet enim Vaticanus: ʿexpectantes crebris a cognationibusʾ. ex quo cum Valesius ʿexpandentes [eas] crebris agitationibusʾ elicuisset,[13]) sensum adsecutus est, non formam. et melius mecum scribas: ʿexplicantes[14]) crebris [e]as agitationibusʾ (s = c cfr. Gardth. p. XIII.)

restat ut ʿingulisʾ emendemus. quod cum tunicas significare debere supra exposuerim, nescio an ex ʿinterulisʾ (intulis) ortum sit. sunt autem sericae illae nimia subtegminum tenuitate

12) cfr. 31, 2, 5 ʿsemel obsoleti coloris tunica collo insertaʾ. ceterum Amm. inserere aut absolute usurpauit aut cum in et abl. cfr. 15, 3, 5; 22, 12, 2 etc. Curtius nescio quo loco: ʿcatena collo insertaʾ.

13) sic scribens praeferre debuit ʿiactationibusʾ siue ʿuacillationibusʾ.

14) cfr. tela dextris explicare 16, 12, 36. cfr. 14, 2, 17. 23, 4, 6. 23, 6, 84. ʿsinus lateraque dissuta relinquant flatibus agitari uentorumʾ.

nobiles. quas 'interulas' hic uocari credo.[15]) cfr. Apul. Flor. I, 32 'habebat indutui ad corpus tunicam interulam tenuissimo textu, triplici licio'.

'perflabiles' pro 'per pia uilis' non sine probabilitatis specie a Valesio excogitatum est. sed cum datiuo opus sit, haereas 'perflabilib.' usus fuerit Ammianus an alio uocabulo secundae declinationis. hoc ut inuestigarem mihi quidem non contigit ('perlucidulis' nimium discedit a uestigiis Vaticani).

iam denuo Ammianum producamus si non sua, honestiore tamen ueste uestitum:

> sudant sub ponderibus lacernarum, quas (in) collis insertas *interulis* ipsis adnectunt nimia subtegminum tenuitate *perflabilibus*, explicantes crebris [e]as agitationibus maximeque sinistra, ut longiores fimbriae tunicaeque perspicue luceant.

in hoc loco cum plura uerba foede deprauata philologos contorserint, alterum ex Ammiano exemplum propono, quo quantas fallacias comma falso insertum haut uni archaeologo tulerit, dilucide appareat.

Daphne Antiochensis inde a Seleuci Nicatoris temporibus insignis erat templo simulacroque Apollinis. simulacrum summa altitudine et ἀκρόλιθον quod Bryaxidem praedicabat arteficem, conditorem ut uidetur Seleucum, Juliano imperante a. 362 templi incendio consumptum est (cfr. Müller ant. Ant. p. 14).

hac re nec ulla notior est nec ulla certior. eandem sic exhibet Ammianus (22, 13, 1): 'Kal. Nou. amplissimum Daphnaei Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus ille condidit[16])

---

15) interulas paragaudias Vopisc. commemorat Prob. 4 ed E.-J. p. 187, 11. cfr. praeterea Boettiger Sab.[2] II, 113.

16) non condidit ille quidem templum, sed uidetur novasse.

iracundus et saeuus, et simulacrum in eo Olympiaci Iouis imitamenti aequiperans magnitudinem subita ui flammarum exustum est.'

quibus ex uerbis suo iudicio subobscuris O. Mueller [17]) conclusit Daphnaeum Iouis simulacrum fuisse ab Antiocho IV positum, quod Phidiae exemplum sequeretur Olympiae collocatum.

a nummis Muelleri partes nequaquam adiuuari praetereo: etenim quos nunc genuinos esse constat (cfr. Stuart Poole cat. of. brit. mus. Seleucid Kings I), eos tunc ex Eckhelii (D N V. III, 224) autoritate condemnabant nomismatologi.

sed utinam ipsa Ammiani uerba rectius interpretatus esset. nempe nil significant nisi quod supra ex aliis scriptoribus nobis adstruximus. quem sensum si denegassent, corrigenda fuissent: nam Ammianus interitum statuae Apollinis tanti ab Juliani aestimatae et deploratae templi ruinam describens non narrare non potuit. sed quo simpliciora uerba, eo praeclarior fit error non solius Muelleri. Ammianus enim cum dicit: 'simulacrum Olympiaci Iouis imitamenti aequiperans magnitudinem' hoc uult intellegi: 'simulacrum aequiperans magnitudinem simulacri Iouis Olympiae positi'. et saepius *imitamentum* usurpat pro *simulacro* cfr. 16, 10, 14 et 17, 4, 16.

item igitur ac ceteri persequitur deflagrasse effigiem Apollinis colosseam.

falsa Muelleri interpretatione Eyssenhardtius commotus est ut post 'Iouis' interpungeret, quo quod ante casu quodam collegerant, qui eius utebantur editione, certa quadam ratione confirmare uiderentur.

---

17) in eundem errorem iam Eckhel inciderat cfr. l. c.

ex his denoto: Lenormant. (num. des rois gr. p. 92), Froehner (med. de l'emp. rom. p. 27), Helbig. (Unters. über die camp. Wandm. p. 8) Ouerbeccium, qui et alia ut solet confundit (Gr. Kunstmyth. p. 58 sq.)

Ammiani loco extricato neque amplius Malalae fides derogabitur (p. 307) memoranti Diocletianum Daphnaeo in agro Ioui Olympio templum dedicasse (cfr. Julian imp. ep. 27).

eiusdem dei alterum fanum, quod nouam praebuit ansam errandi, non Daphnaeum, sed Antiochense fuit (cfr. Justin 39. 2 et Diodor exc. 34). atque hoc consecrauit Antiochus IV. (cfr. Gran. Licin. ed Bonn. p. 9, 15.)

III.

IN RHETORES.

in Senecae ed B. p. 7, 4 ed K. p. 9, 5 optimorum codicum consensus hanc praebet scripturam: 'Vergilius quid ait *quia de* navibus: credas innare reuolsas Cycladas'. quod Bursianus deteriores libros secutus scripsit, Kiesslingius quoque in textum suum recepit: 'Vergilius quid ait? *qui de* nauibus

credas innare reuolsas / Cycladas'.

neque tamen uereor ne sic dici potuerit; eiecto autem '*quia*', quod mera est dittographia. optimum genus loquendi efficitur hoc:

'Vergilius quid ait (*qui a*) de nauibus?:

credas innare reuolsas / Cycladas'.

cfr. Seneca phil. ep. 86, 13: 'descripturus infamem et nimis notabilem deliciis Horatius Flaccus quid ait?:

pastillos Buccillus olet'.

Seneca ipse pater p. 6, 23 B. p. 8, 20 K. 'Vergilius quid ait?:

rapit / haud partem exiguam montis'.

Macrobius cum saepe interrogationes sic promouet, tum Sat. V, 13. 4: 'at hic uester idem significare cupiens, quid ait?:

calcemque terit iam calce Diores'.

'Fuscus' (apud eundem p. 7, 20 B. p. 9, 24 K) 'dixit: testor ante orbem tibi tuum deesse quam militem. Latro *sedens hanc* dixit: non excusauit militem, sed dixit: dum sequor, quis mihi promittit hostem, quis terram, quis diem, quis mare?'

Barbarus introduxerat excusantem se exercitum Macedonum, quod trans Oceanum progredi nollet. interiecta Fusci sententia, denuo Latro a parte militum dixit non ut eos se excusantes faceret, sed qui libenter regem sequerentur uel ultra Oceanum. quo animo commoti quaerunt tamen, dum Alexandrum comitentur, num hostes inueniant cum quibus pugnent, terram cui in pugnando insistant, diem et mare quae classibus opus sint. nam in Oceani regionibus credebant confusam lucem alta caligine esse et mare immotum stare et quasi pigram molem (cfr. p. 1). sic igitur substantiua illa copulanda sunt, ut hostem cum terra coniungas, cum die mare. [18])

Gertzius (philol. hist. samf. mindeskr. Kop. 1879 p. 148) cum quamnam uim coniunctio '*dum*' hic haberet frustra sibi quaerere uideretur, '*duc*' pro '*dum*' scripsit. sed '*dum*' optimum praebet sensum neque patitur coniecturam; quo grauiore corruptela uerba '*sedens hanc*' implicita sunt.

etenim cum 'sedens' ex locis ut 362, 10 B. 244, 20 K; 178, 10 B, 292, 11 K (cfr. Sueton. ed Reiff p. 126, 1); 291, 8 B, 460, 8 [18a]) nullo modo defendi posset, quod in his sententiis enarrandis talem descriptionem numquam admittit Seneca, Latronis autem sententia, ut uidimus, opponeretur eis, quae antecedunt, Arnoldus Schaefer (annal. Fleck 1873, p. 72) '*se*-

18) pro 'mare' 'aerem' uoluit Wehle Rh. Mus. XVIII, 165 coniectura superuacanea.

18a) sedentes declamasse rhetores illos quam ob rem adnotauerit Seneca, ex Plinio adparebit ep. 2, 19, 3 cfr. M. Hertz Schriftsteller und Publ. p. 37.

datius’ coniecit et ueri multo similius Bursianus ‘*secus*’ quo suum redderetur Senecae, modo ne remaneret ‘*hanc*’. atque oppositum illud necessarium retinebimus, si post ‘militem’ siue ‘Latro’ *aliter* inseruerimus, ex

S E D E NS H A NC nullo fere negotio

S Ē T E NT I A M adsequemur.[19]) et sic solet Seneca introducere rhetorum sententias: C. dixit sententiam egregie . . . alio colore . . . aliter (e. gr. 248, 22 B; 398, 4 K.)

praeterea in uerbis quae sequuntur alterum ‘dixit’ corruptum est. pro quo restituas siue ‘di[centem fin]xit’ siue ‘di[centem indu]xit’; ut iam totus locus sic prodeat:

> Latro [*aliter*] *sententiam* dixit: non excusauit militem, sed *di*[*centem fin*]*xit*: “dum sequor quis mihi promittit hostem quis terram, quis diem quis mare?”

ibid. p. 32, 4 B, p. 40, 14 K quae sit mea opinio, non eadem certitudine proferre audeo. in uerbis enim: ‘ab eo semper nasci satisfactionem *ac dacto* rogari’, in quibus ‘*dato*’ Bursianus Guilelmus Wagner ‘*cum aequo pacto* rogare’ corrigi noluerunt, ‘*audacter*’ cum forma aliqua uerbi ‘*rogandi*’ restituendum esse uideo; quam autem formam Seneca usurpauerit, disceptare non possum. intellegi noluerat declamator: ‘Ciceronem omni modo coactum esse ueniam petere, audacter igitur rogaret’. ‘*audacter*’ significat quod apud nos aiunt: ‘frisch von der Leber’ cfr. e. gr. Plaut. Capt. II, 2, 310, loquere audacter ibid. IV, 2, 842 gaude audacter mil. glor. III, 2, 487, age eloquere audacter mihi. Senec. rh. p. 61, 18 B, p. 73, 22 K. ille vitam audebit rogare. id. p. 99, 10 B, p. 120, 27 K. sed rogare illos potes et audacter roga.

19) de hoc compendio uide Wattenb.³ Anleit. z. lat. Pal. p. 45 et 51.

contra simplicissima est ratio medelam adferendi his uerbis uitiatis (p. 216, 8 B, p. 338, 8 K): 'in hac controuersia *et duo tres rei*: nouerca enim procuratori coniungitur.' scribendum est: 'in hac controuersia *sunt duo*, [*non*] *tres* rei: nouerca enim procuratori coniungitur.'

Aquila Romanus praeteritionis figuram exponens postquam ex Ciceronis Miloniana exemplum attulit, pergit (§ 8 ed H. p. 24, 29) hoc modo: 'item de domo sua contra Clodium: "uidesne me radicitus euellere totum tribunatum tuum?" et cetera *inquit* quae praeter mittere se ait, nihilominus dicit.'

Halmius Stephano obtemperans expunxit superuacuum illud ut uidebatur '*inquit*'. sed nihil est nisi '*in quib.*': 'et cetera *in quibus* quae praetermittere se ait nihilo minus dicit.'

cfr. Macrob. comm. 1, 4, 3. 'Tum Scipio: "patiemini . . . sumus" et cetera quibus ad narrationem somni uenit.'

IV.

IN PHILOSOPHOS.

in Senecae libris qui sunt 'de beneficiis', plurima menda ingeniose sustulit Gertzius, reliquit paucissima. tale est quod nunc ex I, 19, ed 9 p. 10, 25 proferam. ubi cum in Nazariano esset:

> iam rapta spargere, sparsa *erat agri* auaritia recolligere certant

cum reliquis editoribus ex '*agri*' merito '*acri*' correxit. '*erat*' tamen causa non suppetente expulit.

ἀντιμεταβολὴν potius Seneca adhibuit huius modi:

> iam rapta spargere, sparsa [*rap*]*ere* et acri auaritia recolligere certant.

codicum scriptura in Taciti dialogo c. 28 ed Bs. p. 29, 14 est haec: 'non reconditas, Materne, causas requiris nec aut tibi ipsi aut huic Secundo uel huic Apro ignotas *etiam si* mihi partes assignatis proferendi in medium, quae omnes sentimus.'

'etiam si' ut emendaret, Andresenus cum Ritschelio legit '*set tamen dicam* si.' uerum adiecit (act. soc. Lips. vol. I p. 123): "de uerbis '*tamen dicam*' potest dubicari; eo maiore iure nisi omnia me fallunt, hoc affirmare mihi uideor et simile aliquid hoc loco scriptum fuisse et inter '*set*' atque '*si*' collocatum." adsentiendum puto uiro de dialogo optime merito, sed ita ut minus a uestigiis traditis recedatur. quod sic efficitur:

non reconditas causa requiris . . . . uel ignotas, *set* [*aper*]*iam si* mihi partes assignatis etc. [20])

qua significatione '*aperire*' usitatissimum est: ex ipso Tacito subnoto annal. 4, 40. id tantum aperiam dial. 16. aperiam cogitationes meas. ibid. 32 sunt aliae causae . . quas a uobis aperiri aequum est.

in eiusdem dialogi c. 10 Aper strenuus ille eloquentiae patronus his uerbis sententiam suam complectitur: ed Bs. p. 12, 14. 'ego uero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras. puto et anteponendas *ceteris aliarum* artium studiis.' ubi 'ceteris aliarum artium studiis' nimis pleonastice dictum esse Andresenus (l. c. p. 114) probauit. acutius autem quam uerius pro '*aliarum*' substituit '*altiorum*.' nempe quin hic de ingenuis artibus, non de ludicris agatur quis dubitat? melius igitur in eis quae initio disputationis suae protulit consistens aut '*ceteris*' expulisset aut '*ceterarum*.' hoc nemini uisum esse satis superque est mirum, cum neutrum quomodo in textum irrepere potuerit, difficile sit ad intellegendum. finge hanc codicum nostrorum archetypon habuisse dittographiam:

al' arum
anteponendum *ceteris* artium studiis credo.

unde facillime oriri potuit *aliarum*.[21])

20) monuit Woelfflin. idem sic quoque elici:
ignotas [f; ap]eriam.

21) sero uidi ex Baehrensii appendice iam Steudingium depulisse 'aliarum'.

V.

IN GRAMMATICOS.

Asconius in Cornel. ed K.-Sch. p. 53, 1 ut solet mutilatus ita enarrat, quo tempore Cicero Cornelianam habuerit: 'sequente deinde anno L. Cotta L. Torquato coss., quo haec oratio a Cicerone *praetura* . . . . *praetore* dicta est'.

Sozomeni unum optimum libri Sangallensis apographum intra '*praetura*' et '*praetore*' spatium nouem litterarum reliquit, quod ab editoribus nouissimis Mommsenii ex coniectura uerbis '*nuper peracta*' repletum est. et talia ab Asconio scripta esse ueri est simile, dissimile miro casu post ipsam lacunam '*praetoris*' uerbum sequi ab interpolatore quodam intempestiuē additum. quod Mommsenius addere uoluit, iam praebet textus Asconii: latitat sub '*praetore*', quod ei adulterinum uidetur, *(praetore—pacta)*. quo correcto quamquam non diiudico quid exciderit in lacuna,[22] sensui aptum legitur:

'quo haec oratio a Cicerone praetura [*nuperrime*] *peracta* dicta est'.

---

22) '*nuperrime*' ad litteram expleret spatium.

'maius opus moueo': disceptabo, quo ex fonte libri I capita 17—23 in Macrobii Saturnalia fluxerint.

quo in munere Wissowae opinionem perstringere debeo, qui nuperrime (diss. inaug. 1880 Vratisl.) et summatim de auctoribus Saturnaliorum et de horum capitum fonte secundo euentu, ut tunc uisum est, iudicium egit. is cum statuisset ex Jamblichi scripto *περὶ θεῶν* licet per grammaticum quendam latinum, quae hic prodidit litterio iste, maximam partem esse surrepta, cum aliorum tum Zelleri (hist. phil. gr. III, 2^3 p. 683) et Kiesslingii (DLZ 1881. p. 966) adsensus adsecutus est.

sed demonstrabo nonnulla eius argumenta tam leuia esse et friuola, ut ne primo quidem impetu resistant.

quod Neoplatonicorum uestigia Macrobius premit, Zellerum secutus Wissowa illud scitissime. recentiorem autem Porphyrio scholam omnia redolere primus argumentatus est.

'huc pertinet quod summa auctoritas tribuitur uersibus Orphicis' (p. 38).

sed Porphyrius quoque ita Orpheum ueneratur, ut libellum, quem *περὶ ἀγαλμάτων* scripsit, ex sententia Orphica et descriptionem Jouis simulacri ibi positam ex XXXII Orphei uersibus incipere uoluerit.

23) hinc Stobaeus eos adduxit ecl. I, 23. cfr. etiam antrum nymph. c. 16. (Lobeck Aglaoph. p. 524).

recentiorem Platonicorum scholam eo quoque perspici asseuerat Wissowa, 'quod crebro aduocantur Assyriorum et Aegyptiorum mores atque sacra'. (ibid).

quisquis hoc dicit, necesse est neget in his rebus studium positum fuisse etiam a Porphyrio. relego igitur eum ad scriptum eius *περὶ ἀγαλμάτων* quo de Aegyptiorum religione exquisite instruimur; in Aegyptiacis ut consistam, ad epistolam Ane-

bonti missam; Assyriorum ut de moribus et sacris certior fiat, ad libros quos de abstinentia ciborum scripsit et ad relliquias ex oraculorum philosophia seruatas.

24) cfr. praeterea e. gr. Schaefers de Porphyr. in Tim. comm. Bonn 1838 p. 38.

'imprimis, inquit Wissowa (ib.), tota illa in qua omnis uersatur Macrobius, deorum plerorumque ad solem relatio aliena est, siquid uideo, a Porphyrio et a primo Jamblicho adcuratius excolitur'.

attamen nihil uidit: plus uidisset inspecto *ἀγαλμάτων* libro, in quo ad solis effectus referuntur: Dis Vulcanus Hercules Aesculapius Liber Horus Mercurius Pan.

Wissowa igitur cum 'multo certiora' proditurus nos considerare iuberet Aesculapium teste Proclo [25] a Jamblicho cum sole coniungi, cum luna a Porphyrio, iam abstulit responsum suum. sed enim quis eum coegit praetermittere hunc libellum et ex uno eoque exilissimo fragmento concludere, quid sentiret [26] philosophus ille, quo nemo fere melius sciebat 'diem diei posterioris esse magistrum'?

25) u. Schäfers l. c. 40 sqq.
26) Wolff Porph. de phil. exor. p. 30 sqq.

quasi uero fieri ullo modo possit ut Macrobius doctrinam suam ex commentario mutuam sumpserit, quem in Timaeum emisit Porphyrius.

immo eundem adeat in simulacrorum libro Aesculapium et 'ex allegorica interpretatione draconis' explicantem et solis uirtuti supponentem quaeque dixit comparet cum Macrobii uerbis.

Porphyr π. ἀγ apud Euseb. praep. eu. III, 11 p. 112 D.

τῆς δὲ σωτικῆς αὐτοῦ δυνάμεως Ἀσκλήπιος τὸ σύμβολον· ᾧ τὸ μὲν βάκτρον δεδώκασι τῆς τῶν καμνόντων ὑπερείσεως καὶ ἀναστάσεως (sic A vulg. ἀναπαύσεως). ὁ δὲ ὄφις περισπείρεται τῆς περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν σωτηρίας φέρων (A-ον) σημεῖον· καὶ μὴν ὑφιστάντες ἡμῖν τὸν κόσμον τὰ περὶ τὴν γῆν ἰλυσπώμενα τῶν ζώων τῆς παχύτητος (A. uulg. -τάτης) καὶ γεώδους ᾐτιάσαντο οὐσίας· πνευματικώτατον γὰρ τὸ ζῷόν ἐστι καὶ τὴν ἀσθένειαν τοῦ σώματος ἀποδύεται. τῆς γὰρ ὀξυδορκίας εὗρε τὸ φάρμακον καὶ μυθεύεται τῆς ἀναβιώσεως εἰδέναι τινὰ βοτάνην.[26])

Laur. Lyd. ed Bekker.

cfr. p. 70, 9.

p. 41, 6

ὅτι ὁ δράκων πνευματικώτατον πάντων ἑρπετῶν καὶ πυρῶδες· παρ᾽ ὃ καὶ τάχος ἀνυπέρβλητον διὰ τοῦ πνεύματος, χωρὶς ποδῶν καὶ χειρῶν ἢ ἄλλου τινὸς τῶν ἐκτός, δι᾽ ὧν τὰ λοιπὰ ζῷα τὰς κινήσεις ποιεῖται καὶ

Macrobius 20, 1.

et est Aesculapius uis salubris de substantia solis subueniens animis corporibusque mortalium. salus autem naturae lunaris effectus est quo corpora animantium iuuantur salutifero firmata temperamento. ideo ergo simulacris eorum iunguntur figurae draconum, quia praestant ut humana corpora uelut infirmitatis pelle deposita ad pristinum reuirescant uigorem, ut reuirescunt dracones per annos singulos pelle senectutis exuta. propterea et ad ipsum solem species draconis refertur, quia sol semper uelut a quadam imae depressionis senecta in altitudinem suum ut in robur re-

ποικίλων σχημάτων τύπους ἀποτελεῖ· πολυχρονιώτατον δέ ἐστιν, οὐ μόνον τῷ ἐκδυόμενος τὸ γῆρας νεάζειν, ἀλλὰ καὶ αὔξησιν ἐπιδέχεσθαι μείζονα πέφυκε· καὶ ἐπειδὰν τὸ ὡρισμένον μέτρον πληρώσῃ, εἰς ἑαυτὸν ἀναλίσκεται· ὀξύτατα δὲ πάντων βλέπει.

uertitur iuuentutis. esse autem dracona inter praecipua solis argumenta etiam nominis fictione monstratur quod sit nuncupatus *ἀπὸ τοῦ δέρκειν* i. e. uidere. nam ferunt hunc serpentem acie acutissima e. q. s.

27) Eusebii textum quantum ex Gaisfordii apparatu fieri potest ex cod. Paris A. constitutum dare studui, Lydum adtexui propter causam infra explicandam.

dum causis eis, quas hucusque aperui, et Wissowae argumentis fidem derogo et praestruo mihi nouum fundamentum. iam saepius sermo noster in Porphyrium delapsus est, quam ut scrupoloso lectori non oreretur suspicio, tamquam ex Jamblichi castris in Porphyriana pelliceretur. adest igitur tempus de scripto illo *περὶ ἀγαλμάτων*, ad quod non sine consilio quodam et ratione frequentius delegaui, aliquid dicendi.

et diu in occulto latuit densis offusum tenebris et licet aliquando indagatum sit, ut tam aliorum quam Wissowae exemplo docemur, nouo situ contectum etiam nunc latet.

φυσιολογίαν enim Porphyrii quam Eusebius in praep. eu. III, 9 sqq. adpellat ibique compilat, olim *περὶ ἀγαλμάτων* inscriptum fuisse Holstenius primus demonstrauit (lib. de uit. Pyth. etc. Romae 1630 p. 75).

28) quod Petauius ad Jul. or. V. Porphyrii opus *περὶ τῆς ἀλληγορουμένης Ἑλλήνων καὶ Αἰγυπτίων Θεολογίας* nominauit, uituperandus non est; uituperandi Fabricius et Harless. qui cum Holstenii commentum

cognouissent quod ille nequiit, — Julianum eodem anno Petauius emisit quo Holstenius Porphyrium — hunc ficticium titulum a libro qui inscribitur περὶ ἀγαλμάτων distinxerunt et eundem ac περὶ θείων ὀνομάτων putarunt, cuius Suidas meminit. (Fabric. H. V, 744 et 743).

simili ratione commotus iam Lodouicus Viues a. 1522 hunc libellum 'de ratione naturali deorum' inscripsit in comm. ad Augustini ciu. dei. Wolffius (l. c.) postquam in primore libro scite recensuit, p. 128 περὶ ἀγ. sub titulo epistolae Aneb. citat.

Meineke Stobaei ecl. I, 2, 25 p. 11, 29 falsum adscripsit ex π. ἀγ. locum: ibid. 1, 25, 2 p. 144, 4 nec ille uidit neque ceteri editores ab Euseb. in praep. eu. III, 13, 1 p. 117 D in fragmentis ex π. ἀγ. seruari.

μονόβιβλος uidetur fuisse, si Stobaeo eiusue codicibus[29]) fides est habenda.

29) ubi citatur ἐκ τοῦ περὶ ἀγ. praeter Stobaeum nemo librum nominatim aduocauit. dubito tamen pro eodem habere περὶ θείων ὀνομάτων quod Wolff. coniecit. (l. c. p. 31).

quod autem Eusebius ἀναγκαίως ἐπιτεμόμενος (III, 11 p. 111 a cfr. III, 13 117 D) et inimicissime contra Porphyrium agit, operam dabimus ut aliunde et huius fragmenta augeamus et fidem illius experiamur. qua in re difficultates nobis inde struuntur quod Porphyrii libellum ipsi antiquitati parum notum fuisse apparet.

30) Julian or. V. ed Hertl. p. 209, 15 ἀκούω καὶ Πορφυρίῳ τινὰ φιλοσοφῆσθαι περὶ αὐτῶν, οὐ μὴν οἶδά γε. οὐ γὰρ ἐνέτυχον, εἰ καὶ συνενεχθῆναί που συμβαίη τῷ λόγῳ.

in eadem re Augustinus habuit notitiam Porphyrii: 'propter uernalem quippe faciem terrae quae ceteris temporibus pulchrior, Porphyrius philos. nobilis Attin flores significare perhibuit et ideo abscisum quia flos decidit ante fructum'. de ciu. dei VII c. 25 = Porphyr. περὶ ἀγ. ap. Euseb. III, 11. 110. a: ὁ Ἄττις τῶν κατὰ τὸ ἔαρ προφαινομένων ἄνθεων καὶ πρὶν τελεσιογονῆσαι διαρρεόντων ἔνθεν καὶ τὴν τῶν αἰδοίων ἀποκοπὴν αὐτῷ προσανέθεσαν, μὴ φθασάντων ἐλθεῖν τῶν καρπῶν εἰς τὴν σπερματικὴν τελείωσιν.

iam tamen dudum u. d. adnotarunt descriptionem Jouis simulacri, quae in scholio Veneto *B (Il. A, 175) Suida Codino legitur, petitam esse ex Porphyrii simulacrorum libro.

atque scholium Venetum *B praetereo — nam hoc et huic similia non dubitari potest quin ex Suida hausta sint [31]) — : Suidas Codinusque quonammodo illa descriptione potiti sint, succincte explicabo.

31) cum Gildersleeue, de Porph. stud. hom. Gött. 1853 p. 17 et sibi et lectoribus persuadere uellet Porphyrii π. ἀγ. compilari in schol. Il., neglexit tres eos locos quos ad opinionem suam firmandam attulit manu codicis Ven. B. secunda e. Suida huc insertos esse. quod comparatis inter se scholiis Codino Suida fol. Tischendorfianis conici potest, confici eo quod prouerbium a Suida descriptioni Jouis aliunde subiectum scholio Venet. *B Il A 175 quoque adiunctum est. quod quomodo Gildersleeueum fugere potuerit nescio, Schraderum quomodo (Porphyr. quaest. hom. rel. fasc. II p. 356 21) fefellerit, miror.

repperit igitur Tischendorfius (anecdota sacra et profana Lps. 1855 p. 58—64) septem folia X. s. scripta (T), quibus enarrantur deorum imagines aliaque mirabilia. ipse Tischendorf. uidit, quae exemplum suum praeberet, ea referenda esse ad Laurentii Lydi uarios libellos. nam in Lydi fragmentis seorsum traditis uel insunt uel ibi quae nunc non leguntur, olim lecta esse non solum probabile est, sed paene necessarium.

32) primum caput, quod est de Adiabene, ad Lydi librum de ostentis (cfr. ed B p. 351, 20) merito reuocabimus. cum eo facit etiam anecdoton Crameri Paris. (I p. 383, 1399). quod in codice quodam Parisino cum aliis Lydianis inuenitur. (u. p. 368. adn. 5. et p. 380).

nescio num ipse adierit Lydus Cassium Dionem, quem auctorem hic fatetur (fol. Tisch., Anecd. Crameri, Codin. in cod. Vat.) in cuiusque epitome hodieque totum locum habemus.

operae pretium est subnotare neque a Gardthausenio (fontes Amm. geogr. p. 520) neque a Mommsenio (Herm. XVI p. 633 adn. 6) obseruatum esse ex hoc Cassii loco pendere Ammiani XXIII, 6, 17 sq. cum iam Kuesterus Suidam s. u. Ἀδιαβήνη contulisset cum Amm. l. c.

adtende enim hanc parilitatem:

Ammian	(Cassius Dio) 68, 27 ep.
in his pagis hiatus quoque conspicitur terrae unde halitus letalis exsurgens quodcumque animal proxime steterit odore graui consumit.	καὶ τὸ στόμιον ἐθεάσατο ἐξ οὗ πνεῦμα δεινὸν ἀναδίδοται, ὥστε πᾶν μὲν ἐπίγειον ζῷον πᾶν δὲ πτηνὸν ἀποφθείρειν εἰ καὶ ἐφ᾽ ὁποσιοῦν

quae lues oriens a profundo quodam puteo cum os eius excesserit latum, antequam sublimius uagaretur terras circumsitas inhabitabiles acerbitate fecisset. 18. cuius simile foramen apud Hierapolim Phrygiae antehac ut adserunt aliqui uidebatur, unde emergens itidem noxius spiritus perseueranti odore quidquid prope uenerat corrumpebat absque spadonibus solis, quod qua causa eueniat rationibus physicis permittatur.

ὄσφροιτό τι αὐτοῦ καὶ εἴπερ ἐπὶ πολὺ ἄνω ἐχώρει ἢ καὶ πέριξ ἐσκεδάννυτο οὐδ᾽ ἂν ᾠκεῖτο ὁ χῶρος κ. τ. λ.

εἶδον ἐγὼ τοιοῦτον ἕτερον ἐν Ἱερᾷ πόλει τῆς Ἀσίας καὶ ἐπειράθην αὐτοῦ δὶ ὀρνέων αὐτός τε ὑπερκύψας καὶ αὐτὸς ἰδὼν τὸ πνεῦμα. κατακέκλειται γὰρ ἐν δεξαμενῇ τινι καὶ θέατρον ὑπὲρ αὐτοῦ ᾠκοδόμητο φθείρει τε πάντα τὰ ἔμψυχα πλὴν τῶν ἀνθρώπων τῶν τὰ αἰδοῖα ἀποτετμημένων, οὐ μὴν καὶ τὴν αἰτίαν αὐτοῦ συννοήσας ἔχω, λέγω δὲ ἅτε εἶδον ὡς εἶδον καὶ ἃ ἤκουσα ὡς ἤκουσα.

Schultzi scrupulos (quaest. Lyd. diss. Gryph. 1862 p. 5) quo referam, non uideo. nisi forte ad Eusebium respexit, de quo infra, cum diceret: 'in codice Tisch. fragmentis Lyd. alios aliorum locos admixtos esse magna suspicio diligenter legentibus erit'.

T tamen non ex ipso Lydo fluxisse nisi intercedente alio quodam excerpto (X) colligitur ex uitiis ei inhaerentibus istius generis, quae non occurrant praeter apographa (e. gr. p. 64 in Priapi descriptione). in altero exemplo (V) huius uel huic similis excerpti (X) librarius aliquis alias substruxit descriptiones, unde una cum Lydianis in Suidam et Codinum peruenerunt.

33) aliter explicari nequit quod Suidas praeter haec frustula, quae ei cum T communia sunt, nihil omnino ex Lydo recepit. ea autem additamenta, quibus Suidas Codinusque T superant, in fine antiquitatum Cpolitanarum Codini collocata insignem prae se ferunt alius tempestatis originem. discedo igitur a Schultzio, qui nonnulla in eis a Lydo profecta esse censet.

ex eis quae T praebet, casu excidit in Suida descriptio *Εὐγνωμοσύνης* s. u. *εὐγνώμων*, in Codino *Βερούνιον* (cfr. Schultz. adn. 2); apud eundem Herculis coaluit cum Jouis simulacro. reliqua, quae sunt in T, communia eis sunt plus minusue inter se et cum T discrepantia. quo nexu autem uterque cum T coniunctus sit', non prius potest acrius

iudicari quam Codini libri Vaticani adcuratam habeamus collationem. interim hoc stemma sufficiat:

Laurentius Lydus

fragmenta — excerptum X

excerptum X: excerpt. T. — excerpt. Y.

excerpt. Y.: Suidas — Codinus.

Suidas: Schol. Venet. *B.

ex his testibus cum rationis et artis adhibueris suppetias, noua corpori Lydiano accedent fragmenta. in eis autem iam supra memorauimus locum contineri ἐκ τοῦ περὶ ἀγαλμάτων.

34) etiam Longini memoria in Jani descriptione excitata iam primo obtutu prodit originem Porphyrianam.

hic fides si quae inest ratiocinationi nostrae emicare debet. nam quaeritur an Lydo inferatur notitia scriptoris ei ignoti, et scriptoris si non ignoti, an scripti. ac bis quidem Porphyrius a Lydo nominatim laudatur: p. 114, 25, quem locum ex II, 5 de abstinentia ed. N. p. 84 descriptum esse perspexit Bernays. Theoph. de piet. p. 166 sq., et p. 105, 12 ubi tamen non ipse scriptor mihi aditus uidetur esse, sed Jamblichi aliquis liber τῆς χαλδαικῆς τελειοτάτης θεολογίας.

35) cfr. Damascius de princ. passim (e. gr. c. 43 ed K p. 115 et c. 117 p. 360). in hoc enim opere Jamblichus Porphyrii numerorum philosophiam recensuit. ceterum cfr. Dielesium dox. p. 98.

36) in p. 68, 24 sqq. Lydi Porphyr. uit. Pyth. ed N p. 32, 25 latitat sub nomine Diogenis. neque tamen Lydus haec ex Porphyrio mutuatus est, sed ex Antonio Diogene Porphyrius cfr. Wolff. p. 15, adn. 2 et Rohde Rh. M 26 p. 575 eiusdemque 'der griech. Rom.' p. 255. adn.

uerum res ita comparata est, ut etiam simulacrorum liber innotuerit Lydo, quod hic concentus ultra omnem dubitationem ponet:

Porphyr. apud Euseb. III, 11. 109 C.	Lydus p. 107, 8 sqq.
ἐπεὶ δὲ καὶ τῶν εἰς γῆν βαλλομένων σπερμάτων ἦν τις δύναμις ἣν (ἥνπερ cod A H.) ἥλιος περὶ τὸ κάτω ἡμισφαίριον ἰὼν ἕλκει κατὰ τὰς χειμερίους (sic A H. ceteri χειμερίνας) τροπάς, Κόρη μὲν ἡ δύναμις ἡ σπερματοῦχος, Πλούτων δὲ ὁ ὑπὸ γῆν ἰὼν (om. ἰὼν C F G) ἥλιος καὶ τὸν ἀφανῆ περινοστῶν κόσμον κατὰ τὰς χειμερίους τροπάς, ὃς ἁρπάζειν λέγεται τὴν Κόρην, ἣν ποθεῖ ἡ Δημήτηρ κρυπτομένην ὑπὸ γῆν.	ἐπεὶ (libri ἐπὶ) δὲ τῶν εἰς γῆν βαλλομένων σπερμάτων ἦν τις δύναμις ἣν ὁ ἥλιος περὶ τὸ κάτω ἡμισφαίριον ἰὼν ἕλκει κατὰ τὰς χειμερίους τροπὰς (hic. uulgo interpungitur), Κόρη μὲν ἡ δύναμις ἡ σπερματοῦχος, Πλούτων δὲ ὁ ὑπὸ γῆν (om. ἰὼν!) ἥλιος, ... ὃς ἁρπάζειν λέγεται τὴν Κόρην, ἣν ζητεῖ ἡ Δημήτηρ κρυπτομένην ὑπὸ γῆς.

37) quod de ἰὼν (u. 1) indicat in apparatu suo Gaisfordius, si recte indicasset, grauissima hinc oreretur quaestio de textu Eusebii constituendo. nam ne Dielesii quidem sententia staret de codicum Eusebii propagatione (Doxogr. p. 161 et passim) et Lydus Porphyrii uerba ex Eusebio petiisset; attamen aut errauit Gaisfordius aut casus nos mirifice ludit.

iam ex libro περὶ θεῶν deducti sumus in περὶ ἀγαλμάτων librum. optime hoc cum Macrobii capitum indole conuenire, in quibus quaecunque de deis statuuntur, corroborentur ex simulacrorum auctoritate, nemo infitiabitur.

38) enarratur Apollinis simulacrum 17, 13. 17, 66—70 Liberi 18, 9—11. Martis 19, 2 et 5. Mercurii 19, 8. 10. 14—18. Aesculapii et

Salutis 20, 1—3. Sarapis ib. 13—16. Proserpinae 21, 5. Magnae matris ib. 8 (et cfr. 23, 20). Attinis ib. 9. Hori 14. Panis 22, 4—6. Iouis 23, 10—13. Adad. 23, 19. ibidemque Adargatidis. etiam hoc adnotatu dignum in c. 8, 4 sqq. Sat. lib. I, quod ad eundem cum his capitibus auctorem optime reuocauit Wissowa, quaedam deorum simulacra commemorantur; neque minus, quod Lydus, quo loco cum Macrobio c. 8 consentit (p. 51, 22 ed B), Fonteium auctorem ceteroquin ignotum *περὶ ἀγαλμάτων* adfert (de quo cfr. Schultz. p. 38 et Wachsmuth in ed Lydi p. XIX et nos p. 37).

Porphyrii autem *περὶ ἀγαλμάτων* librum Macrobii disputationi subesse facile aliquis sibi probare posse uideatur. cuius rei cum iam supra indicium ad nos manauerit, alterum strictiusque nunc adferamus exemplum. quae igitur de Mneui Apollinis boue exquisite apud Macrobium referuntur, ea procul dubio ad hoc Porphyrii scriptum redeunt.

Porphyr ap. Euseb. III, 13 117 c.

ἡλίῳ μὲν γὰρ καὶ σελήνῃ βοῦς ἀνιέρωσαν· ἀλλ' ὅ γε ἡλίῳ ἀνακείμενος ἐν Ἡλίου πόλει καλούμενος Μνεῦις βοῶν ἐστι μέγιστος σφόδρα μέλας μάλιστα ὅτι καὶ ὁ ἥλιος ὁ πολὺς μελαίνει τὰ ἀνθρώπεια σώματα· ἔχει δὲ τὴν οὐρὰν παρὰ τοὺς ἄλλους βοῦς καὶ τὸ πᾶν σῶμα ἀνάτριχον καθάπερ ὁ ἥλιος τὸν ἐναντίον τῷ πόλῳ ποιεῖται δρόμον . . . [σελήνῃ δὲ ταῦρον ἀνέθεσαν, ὃν Ἄπιν ἐπονομάζουσι] κτλ.

Macrob. XXI, 20.

taurum uero ad solem referri multiplici ratione Aegyptius cultus ostendit: uel quia apud Heliopolim taurum soli consecratum quem Mneuin (corr. Selden. codd. neuton) cognominant . . . . . . 21 nam et per singulas horas mutare colores adfirmatur et hirsutus setis dicitur in aduersum nascentibus contra naturam omnium animalium. unde habetur uelut imago solis in aduersam mundi partem nitentis. [omisi: uel quia bos Apis in ciuitate Memphi solis instar excipitur etc.]

sed quaerat quis, quam ob causam grauius momentum non in eo posuerim quod ipse Porphyrius in cap. 17, 70 a Macrobio nominatur. quid? tu non uides totum illud et bene pensitatum aedificium, quod eram constructurus, ipso eo testimonio procumbere? nonne liquet nominari eum, non quod totius disputationis auctor sit, sed ut singulari argumento fidem afferat? cur igitur longam illam atque operosam uiam ut in cassum tecum permetiremur, inuitasti? at hoc tamen haut contemnendum lucrati sumus: nimirum usus est, quisquis auctor fuit horum capitum, Porphyrii libro qui inscribitur *περὶ ἀγαλμάτων*.

regrediamur igitur ad Wissowam, cuius sententiam tantum abest ut uersuri reliquerimus, ut iam redeamus ad firmius eam figendam, licet leuiter correcturi. is Jamblichi doctrinam, ubi ex Procli loco supra c. sibi persuasit cum Macrobiana consentire, circumspiciens unde plenius cognosceret, incidit in Iuliani imperatoris orationem quartam. ex qua quid de Sole Jamblichus censeret, cum ipse Iulianus expresse dixisset, eius esse quae proferret, se posse adsequi iure suo est opinatus.

39) ex Lydo quoque 114, 18 ed B. apparere apud Jamblichum Plutonem et Solem esse eundem deum Zelleri cuidam notae adnotauit Wissowa (38 adn. 2). equidem laetor quod Lydi uerba mutila me sic recte expleturum esse spero: *ὁ δὲ Ἰάμβλιχος ἐν τῷ πρώτῳ τῆς περὶ καθ(όδου τῶν ψυχῶν πραγμ)ατείας καὶ τῆς ἀποκαταστάσεως αὐτῶν μέμνη(ται παντελῶς? ἠ)θλη(μένων), ἄ(λλ)ως ἡλίου χῶρον τῷ Ἅιδ(ῃ διδ)ούς, παρ' (ᾧ φη)σι τὰς (ἐκκεκα)θαρμένας ἑ(στ)άναι ψυχάς.' πραγματείας, μέμνηται, ἄλλως Ἅιδῃ διδούς, παρ' ᾧ φησι, ἐκκεκ.* C. B. Hasii sunt supplementa. *ἠθλήμεν.* ex Stob. phys. I. c. 41, H. 40 ed M. p. 277 restitui ubi Jamblichi easdem animarum aerumnas *γυμνασίαν* adpellat. cetera per se patent.

absolutum autem et perfectum Juliani et Macrobii de deis esse consensum eo libentius concedo, quo acrius antea Wissowam impugnaui uanissima argumenta proferentem. quod tamen ei Fabricium secuto ualde probabile uidetur librum ab utroque ex-

cerptum eum esse, quem περὶ θεῶν composuit Jamblichus, id credo et corrigendum esse et correctum eo quod supra demonstraui.

40) potuit comparari etiam Julianus de λυκάβαντα 154 B et Macrob. 17, 40.

libri quos περὶ θεῶν scripsit Jamblichus quales fuerint, ex Damascii quaest. p. 171 ed K. licet diuinare et ex Procli theol. plat. I, 11 quos citauit Wissowa, clarius etiam ex Jamblichi (personati?) de mysteriis 8, 8 p. 271, 12 ed Parth., quem quamquam adtulit Zeller, omisit.

41) ex libris π. θ. in Damascium etiam p. 195. p. 287 simliaque conicio fluxisse. hi autem libri uereor ne particulae fuerint χαλδαικῆς τελειοτάτης θεολογίας. hoc enim opus amplissimum fuit et ni fallor toti unum subest Damascii opusculo. loci ex libro de myst. allati uis summa ne tum quidem infringetur, cum subditicium totum librum esse putaueris.

in eis cum non de singulis deis egerit, sed summam aperuerit systematis theologici, fit ut ne minime quidem secum conueniant Julianus et Damascius.

42) hoc sensit Zeller p. 696, 3, sed minus uere cum, quidquid scripsit Jamblichus ex certo quodam systemate scriptum esse putaret, res inter se discrepantes coegit.

in Juliano quoque cum non ob id scripserit ut proderet nobis scripti a se compilati nomen, si non perstringunt aciem, at perlucent tamen uestigia, quae ducant ad librum quo expositum erat περὶ ἀγαλμάτων. cfr. ea exempla, quae pariter ac Porphyrius et Macrobius ex simulacrorum copia elegit: 135 D. 148 D. 150 C.

43) αἰνίττεσθαι terminus est symbolicae explicationis ut e. gr. in Porph. π ἀγ. III, 9. 101 D. 4. quae apud Julianum 134 E. leguntur, merito contuleris cum Porphyr. prooemio ap. Euseb. III, 7. 98 A. 4 sqq.

atque omnia optime ita expediuntur ut, quod maxime uidetur esse consentaneum, pro Juliani et Macrobii fonte habeas opus, quod περὶ ἀγαλμάτων emisit Iamblichus.

res est notissima Porphyrii simiam fuisse Iamblichum et plerumque retractasse, quod ille tractauit. quo modo dum res a Porphyrio prolatas in suum usum conuertit plurima eius uituperat pauca de suo adstruit omnia miscet, non melius rectiusue, sed aliter tamen egit ut superaret eum, cuius ingreditur uestigiis.

44) uterque scripsit uitam Pythagorae, de qua improbabiliter E. Rohde Rh. M. 26, 575; uterque in Timaeum commentarium cfr. Wolff. l. l. p. 36 item in categorias Aristotelis cfr. Zeller. p. 684, 2 de regressu animae cfr. Wolff. p. 30 Zeller p. 682 adn. c. f. nos p. 33 adn. 39. sic Jamblichus sub persona Abammonis epistolae respondet a Porphyrio Anebonti missae. quod responsum adulterinum esse haudquaquam Meinersii curis demonstratum est; quamquam eas sequitur Zeller 716 adn.

ac consideratissime iam Wolffius de Jamblichi simulacrorum explanatione iudicauit, quantum ex Photio 215 ed B. p. 173 sciamus: ʻut solebat, inquit, (Jamblichus) Porphyrii modum excessit, ita ut, cum ille deorum formas insigniaque a sapientibus aliquando excogitatata et inuenta esse censuisset [44]), ipse principum sculptorum animos praedicaret instinctu diuino esse afflatos ac deorum simulacra esse *θεῖα καὶ θείας μετουσίας ἀνάπλεα*ʼ.

45) hoc sibi adstruxit ex Porphyr. *π. ἀγ.* prooemio ap Euseb. III, 7 et 9. 101 C. 5.

sed has sententias altera parte Iamblichus uidetur protulisse — *εἰς δύο τὴν ὅλην πραγματείαν διατέμνει τὴν μὲν μείζονα καλῶν, τὴν δὲ ἐλάττονα* (Phot. p. 173, 19) — altera certissima firmare possumus coniectura eum et ex simulacrorum forma insignibusque probasse uirtutes deorum et amplificasse illud, quod de cognatione Soli cum aliis deis intercedente censuisse Porphyrium supra coargutum est.

46) duas materias easque diuersas tractasse Iamblichum ex titulis operi praefixis adparet. nam *ἡ ἐλάττων πραγματεία* significat *βιβλίον* non fuisse *ὁλόκληρον* (cfr. Birt. p. 156). eidem igitur etiam plura addere potuit. quod autem duas res diuersas in unum librum confundere dubitauit, maluit duos emittere libellos.

hac de parte siue ἐλάττονα males siue μείζονα mutuatus est Macrobius.

Porphyrium a Macrobio in medium produci, p. 33 uidimus; saepius eius memoriam in Jamblichi ἀγαλμάτων libro occurrisse cum per se consentaneum sit, nunc etiam sic concludere possumus ut Porphyrii notitiam, quam in or. V. Julianus prodit, huic scripto acceptam referamus.

his rebus absolutis operae pretium esset Jamblichi doctrinam, uti a Macrobio praebetur, conferre cum genuina Porphyrii, quam Eusebio debemus.

in exemplo igitur de Mneui supra commemorato, ut hoc pro multis ponam, quamquam Porphyrium usurpat, non nulla commutauit. Apim sicuti plerique ad lunam rettulit Porphyrius; Jamblichus eis potius adsentitur, qui censuerunt ad solem eum quoque pertinere.

sed haec componenda aliis relinquo.

47) hinc colligitur Lydum qui furatus est illam fabulam, ex Porphyrii π. ἀγ. non hausisse per Iamblichum. Iamblichi descriptiones certo schemate ordinatae sunt, ut deos deorumque insignia primum enarrentur deinde symbolice explicentur. huc quadrant omnia fere exempla, quae supra in Macrobio denotaui adn. 38 (itaque 17, 67 'aquilae propter exprimunt instar uolatus' corruptum est: nam intra enarrationem praeripitur explicatio.) quam ob rem descriptio Iouis Porphyriana plenior mihi tradita uidetur in Lydo, in quo eandem sequitur legem. quod si est, in singulis quoque enuntiatis Eusebio nimia fides non est habenda. quod quidem Stobaeus ecl. 1, 25, 2 p. 144. 4 ed M. plura uerba praebet quam Eusebius, uetarem huc accenseri: non omisit Eusebius, addidit ea Stobaeus.

ex Birtii modulis si computabis fragmenta Porph. apud Eusebium (ed. Gaisford) tradita, libellum efficies c. 433 uersuum. proxime huic accederet amplitudine liber de antro nymph. (ed. Didot.) 669 uersuum et isagoge in Aristot. cat. (ed. Bekker.) 742 u. . contra ἀφορμαὶ πρὸς τὰ νοητὰ lacunis non consideratis 1047 uersus praebent (ed. Didot). atque hi μονοβίβλων numeri. de abstin. cib. numeros Birt. p. 329 sic aestimauit: I. 1389. II. 1435. III. 1200. IV. 1128.

μονοβίβλῳ Porphyrius etiam Chaldaeorum oracula rettulit, qui liber segregandus est ab opere illo, quo pluribus uoluminibus (cfr. Wolff. p. 39 sqq.) *περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας* tractauit. hunc enim Aenaeas Gazäeus sic citat: *τοῦτό σε καὶ Χαλδαῖοι διδάσκουσι καὶ ὁ Πορφύριος. ἐπιγράφει δὲ καθ' ὅλον τὸ βιβλίον ὃ εἰς μέσον προάγει τῶν Χαλδαίων τὰ λόγια.* quae uerba Sathas Bull. de corr. hellén. I p. 319. *Καταιγίδας λόγων* pro *καθ' ὅλον τὸ βιβλίον* scribendo non correxit, sed foedauit. sed hoc illi largior ut istis temporibus; si nunc talia protulisset, non largirer. (cfr. Birt. p. 155. ipse Sathas ex Tzetzae loco paulo ante a se prolato discere potuit p. 125: *Χαιρήμων ὅλην βίβλον περὶ τῶν τοιούτων γραμμάτων συνέταξεν.* idem Sathas eadem p. 319. adn. 1. etiam alterius Porphyrii scripti titulum male interpretatus est. Psellus *ἀγυρτικὰς βίβλους τοῦ Πορφυρίου* citat: je ne sais pas, ait S., au juste duquel de ces ouvrages parle Psellus, mais d'après ce qu'il dit on peut comprendre qu'il s'agit des commentaires de Porph. sur les oracles chaldéens. sed illo nomine Porphyrii libros *συμμίκτων ζητημάτων ζ'* (Suid.) significari per se clarum est.)


quae praeter ea, quae recensuimus, Wissowa elicuisse sibi uisus est, eiusmodi sunt, ut nisi Macrobii sermonem, qui est in his capitibus, diligentissime ad Klotzii amussim (diss. Gryph. quaest. Seru. 1882) perpenderis, rectum iudicium ferre non possis. ipse autem huic rei incumbere nolui, quam crederem integram esse seruandam Klotzio auctori suo.

de Labeone et Lydo recte iudicauit Wissowa. cum autem Lydus Macrobiusque et Labeonem et Iamblichum usurpauerint, haud parum secure credideris utrumque ex eodem auctore pendere. hic num fuerit Marius Victorinus, ualde dubito. dicam quod sentio: uterque compilauit Fonteii opus *περὶ ἀγαλμάτων* (cfr. adn. 38). qui Fonteius, si a me quaeris, quis fuerit, altera coniectura respondeo: Carthaginiensis ille, cuius sententiam, ut mihi quidem uidetur, eximie Neoplatonicos resipientem Augustinus commemorauit (cfr. retract. I. Venet. 1552. p. 8 M. de diu. quaest. ed. id. p. 124 E.)

48) sed Klotzii erit hoc enodare et diiudicare et de alia quoque ne spero futurum esse ut mox nos certiores faciat. si cui enim, ei est disquirendum utrum Afer fuerit Macrobius necne.

sentimus, in quam procliue iter processerimus. itaque ne, postquam Wissowam a ueritatis tramite deuiasse uidimus, in idem et nos incidamus periculum, finem imponamus huic scriptiunculae, praesertim cum quam particulam esse libelli uolui, iam ipsa paene libellus euaserit.

in usum autem lectoris beneuoli iter, quod fecimus, breuiter hoc circumscribamus stemmate:



---

iam apiaria mea concludo. tu uero, lector beneuole, si mel aliquotiens in fauis meis inueneris, gaudebo. sin autem iam primo adtactu libamenta mea abnueris, putabo cum Boethio

dulcior est apium mage labor,
si malus ora prius sapor edat.
